



Dissertatio chirurgico-medica inauguralis de febribus, potissimum de iis, quae ex vulnere oriuntur

<https://hdl.handle.net/1874/295262>

24

DISSERTATIO CHIRURGICO-
MEDICA INAUGURALIS

D E

FEBRIBUS, POTISSIMUM
DE IIS, QUAE EX VUL-
NERE ORIUNTUR.

Q U A M,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

ALEXANDRIPETRINAHUYS,

A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medicinæ, Botanices,
Chemiæ & Physiologiæ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu, et*
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ *decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, ac
Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini Submittit

DIDERICUS VROOM, DID. FIL.

AMISFURTO - TRAJECTINUS.



Ad diem XXVII. Februarii MDCCLXXXI. H. L. Q. S.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex officina ABRAHAMI VAN PADDENBURG,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCLXXXI.

V I R O.

PERILLUSTRISSIMO. AC. GENEROSISSIMO.

D. D. JUSTO. BARONI. TAETS.
AB. AMERONGEN.

TOPARCHAE. IN. NATEWISCH. ORDINIS.
EQUESTRIS. DIOECESEOS. TRAJECTINAE.
EQUITI. ILLUSTRUM. ET. PRAEPOTEN-
TIUM. POPULI. TRAJECTINI. ORDINUM.
DUODECIMVIRO. ORDINIS. TEUTONICI.
EQUITI. ET. PRAEFECTO. SCHOTENI. UR-
BIS. AMISFURTENSIS. PRAETORI. COLLE-
GII. QUOD. EEMAE. FLUVII. ET. VICINO-
RUM. IPSI. RIVORUM. CURAM. GERIT.
PRAESULI. AGGERUM. QUAE. SUPERIO-
REM. LECCAE. PARTEM. COERCENT. CU-
RATORI. COLLEGII. REI. VENATICAE. PER.
GOYLANDIAM. SENATORI. &c. &c. &c.

*Hasce studiorum suorum primitias
& seinet ipsum summa animi pie-
tate & ea, qua par est, reve-
rentia*

D. D. D.

DR. V R O O M DID. FIL.

A U C T O R.

* 2

DIS-

PERILLISSIMO AC CENSOSSIMO

D. D. JUSTO BARONE TARTAS
AB AMERONGEN

TOPARCHAE IN NATIVISCH ORDINIS
FODESTIS DIGESTOS TRACTINAS
FOUNT IUSTRIUM ET PRAPOTEN
I PRAE HIBIS DE COLLE S. JONIA
DUGGOTINGI APUD IUSTO
FOUNT IUSTRIUM ET PRAPOTEN
RIS IUSTRIUM ET PRAPOTEN COLLE
GI QUOD EMMAE TRUVI ET VICINO
RUM. HIC REVERENDISSIMO
PRAESULI AGGERUM QUAE SUPERIO
REM FACCAE PARTEM CONCERNIT CO
RATORI COLLEGI RAI VENTRICAE RAI
GOVANDIAM SENAS ORI. &c. &c.

These habetur hunc primis
U hunc hunc hunc hunc hunc
hunc hunc hunc hunc hunc
hunc

A. D. D.

DE VROOM DE TIL

AUTOR

DE



DISSERTATIO CHIRURGICO-MEDICA INAUGURALIS

D E

FEBRIBUS, POTISSIMUM DE IIS QUAE EX VULNERE ORIUNTUR.



C A P U T I.

De Vocis Etymologia & Morbi Definitione.

§. I.



orpus nostrum quod verissime cellam gemituum & tristitiae domum cum CASSIODORO MAGNO dixeris, quot tortores circumstant morbi? ex tam varia diversissimarum naturarum compage, carnibus, sanguine, ossibus, venis, & nervis orti: nunc vertigines versant, nunc convulsi-

A

ones

ones raptant, mox apoplexiae sternunt, rheumata, & cataracti suffocant? Sanguinem nunc foedat & cutim incrustat lepra: & quis tot morborum mille nominibus recensendis sufficiat?

Ex tot vero malorum iliadibus inter varia morborum genera, quae corpus humanum undique immensa phalange obvallant, frequentissima ac nonnunquam valde noxiae mihi videntur *Febres*, quapropter de iis ea, qua par est, brevitate differere, animus est.

Quum vero omnis nostra institutio a definitione debeat proficisci, ut sciamus, quid sit id, de quo disputetur, paulisper cimbulam discursus in lacu philologici studii ludere sinemus, antequam ipsum materiae pelagum ingrediamur.

Febris vox proprio ac generali nomine tam a Veteribus, quam a recentioribus accepta, suam originem habere videtur a graeca voce πυρετός igneus aestus, quod a πῦρ ignis, nam Veteres Medici cogitaverunt, Febrem esse calorem humoribus conceptum, cujus ope humores depurantur. Alii vero Febrem consideraverunt pro purgatione sanguinis, nam *Hippocrates* dixit, febrem esse despumationem sanguinis impuri a puro: Sic quoque *Sydenham* inquit; omnem febrem esse purgationem humorum, unde non incongruo vocem *Febris* derivare possumus ab antiqua voce *Februo*, quod denotat *Purgo*.

Sed quoniam multae sunt sententiae Medicorum de vera hujus origine vocis, sufficit mihi hasce memoratas opiniones proposuisse, & continuo lubet ad explicationem verae hujus morbi definitionis accedere.

§. II.

Ut variae variorum opiniones de vocis origine, sic variae dantur definitiones hujus morbi: ne tamen longius, quam par est, evagemur in computandis iis, caeteris omnibus praeferenda mihi videtur explicatio Celeberrimi viri, Venerandi mei Praeceptoris JOANNIS OOSTERDYK SCHACHT, qui Febrem ita definit, quod sit, *illa conditio, qua pulsus intra datum temporis spatium frequentior sit, simul cum quarundam functionum laesione* (a).

Si nunc pulsus frequentia necessario ita cum Febre conjuncta est, ut ea posita ponatur & Febris, illaque sublata, haec quoque desinat, jure merito causam proximam existere sequitur. Ut autem feliciter causam hanc detegamus, intueri debemus ipsius frequentiae pulsus essentiam.

§. III.

Sanguis, ut notum est ex Physiologicis, secundum naturam movetur, & per corpus distribuitur actione potissimum cordis, cujus valentiori & celeriori motu is etiam celerius atque valentius propellitur: Si nunc cordis arteriarumque Systoles seu con-

strictio-

(a) Vid. Inst. med, pract. Libr. I. Cap. I. § XI.

strictiones se mutuo celerius subsequantur, ictus eorum, qui Medicis Pulsus nomine veniunt, ingeminantur & quasi duplicantur; & sic videmus, in quibus frequentia pulsus consistit.

Sed si ex me quaeratur, quid fiat, ut cor vasaque sanguifera ad motus solito frequentiores sollicitentur, ac impellantur, non dubito id ad quamdam stimuli speciem referre, & quamvis genera incitamentorum plura sint, tamen, me iudice, observamus, ea in corpore nostro vix nasci, nisi ab irritatione vel aliquo obice: Si nunc cogitemus, quam facile motus partium corporis per illud incitamentum concitentur & ingeminantur, non mirabimur, quod *Febris* frequentissimus sit morbus, adeo ut nemo unum fere diem sine Febre transigat.

Velocitate pulsus ejusque essentia perpensa, nulla difficultas superest ad intelligendam ipsius Febris causam proximam, nam quid aliud est causa proxima omnium Februm, quam contractio cordis intra datum temporis spatium frequentius facta. Sed dum causae ejus proximae remotae tam multae sunt, ut illas enumerare atque describere longius, quam propositum meum est, excurreret, neque etiam satis commode una dissertatiuncula illae comprehendi possent, earum tantum nonnullas sequenti Capite explicare decrevi.

XX

C A P U T I I.

De Causis & Effectibus.

§. I V.

Ut in hisce causis pertractandis ordinem servemus, agemus 1°. de causa proxima, 20. de remotis, quae Medicis vel Proëgumenae sive praedisponentes, vel Procatarticae sive προφασις ut Loquitur Sydenham sive occasionales vocantur, quae ad praedispositum corpus applicatae efficiunt, ut praesens sit Morbus, unde simul patet, quod istae causae sint vel internae corpori inhaerentes, vel externae corpori applicandae.

§. V.

Causa ergo hujus est duplex *Proxima & Remota*: Proxima Febris causa unice videtur consistere in frequentiori intra datum temporis spatium influxu spirituum & sanguinis, vel alterius Li-

6 DISSERTATIO CHIRURGICO . MEDICA

quidi in nervos, vasa & cavitates cordis. Causae jam, quibus sanguis venosus & Succi nervosi influxus magis impelli possunt, vocantur *Remotae*.

§. V I.

Inter Februm remotiores porro tam multae, tum internae tum externae numerantur causae, ut mihi temporis angustiis incluso illas explicare fere impossibile sit, ob quam causam ergo quemcumque vestrum B. L. remitto ad hasce causas legendas ad Cel. H. Boerhaave in aureo suo Libello de cognoscendis & curandis morbis, & ad varios alios Auctores.

Nam dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.

§. V I I.

Febris, uti alius quicumque morbus, cum multis symptomatibus stipatur, sed quae tamen facillime in duas classes dividi possunt, Scil. in *Necessaria* & *non Necessaria*. Sed, ne multis morer, paucis rationes reddam istorum Phoenomenorum, quae vocantur *Necessaria*. Inter illa, (forsan cuique notum est per *Necessaria* phoenomena intelligi ea, quae ita cum morbo connectuntur ut morbus absque illis esse nequeat) primum tenet locum

cum *Horror* sive *Horripilatio*, in Febre nempe a causa quadam interna orta.

Hoc Phoenomenon, quod nihil aliud est, quam sensus frigoris in externis, internisve corporis partibus cum quodam tremore conjunctus, nullas habet alias rationes, quam quod tempore invasionis Febris statim in sanguine generatur Lentor, (quid per Lentorem hic intelligendum, videri potest apud Cel. H. Boerhaave (a). Alii vero per Lentorem intelligunt inspersionem sanguinis, & tunc a nulla alia re originem ducunt, quam a chylo acidis particulis turgido (b).

Hoc Lentore nunc nato, sanguis, & reliqui humores necessario tardius & inaequabilius suum circuitum absolvunt, unde illa *Horripilatio*, & sequens frigus producitur. Hoc symptoma fere semper percipitur primo in extremis corporis partibus, praecipue a superioribus ad inferiora, quod nobis confirmat & *Livor*, qui tunc tempore unguibus accedit, & *Pallor* in apice nasi, & oculorum canthis, deinde se dispergit per totum corpus.

§. V I I I.

Horrore sensim evanescente, aegros gradatim invadit alterum Phoenomenon Scil. *Calor*, qui primum est siccus, dein plerum-

(a) Prax. Med. Tom. 3. pag. 61. § 588.

(b) Steph. Blancardi Prax. Med. Tom. 2. pag. 62.

rumque humidus. Quare autem Frigus in Calorem mutatur, breviter perstringemus. Lentore in sanguine nato, humores sanguinei in extremis vasculis stagnare debent, unde tum frigus, pallor extremarum partium, tremor &c. producit, ut praecedenti paragr. vidimus. Lentore autem nunc soluto & ex capillaribus excusso (quomodo autem hoc fit, ingenue fateor me ignorare) sanguis liberorem transitum per omnia vasa invenit, cor quoque tunc se fortius constringere incipit, & contentum sanguinem majori vi per vasa jam minus resistentia propellit, atque sic particulae sanguinis loco moventur, & sensim paulatimque magis agitantur, unde perpetuus attritus particularum sanguinis inter se, & ad vasorum latera. Et sic vidimus unde Calor febrilis suam originem ducit:

Ille Calor quoque differt pro diversa jam Febris indole, intensitate, duratione & loco; sed de differentia illius caloris & de diversis Febris hic non dicemus.

§. I X.

Sed uti extra omnem dubitationis aleam est, multas Febres produci a causa interna nobis latente, unde Hippocrates Febrim vocavit τὸ ἄστυ, id est, Latens, seu divinum; sic verissimum est, eas oriri a causis externe corpori applicatis, quae vulgo *Procatarticae* (§. 4.) vocantur, quae omnium commodissime & memoriae juvandae aptissime reduci possunt ad quatuor sequentes classes

a. In-

- a. Ingesta, sub quibus comprehenduntur cibi, potus &c.
- β. Gestu, ut Motus & quies &c.
- γ. Retenta & Excreta.
- δ. Applicata externa corpori &c.

§. X.

Sed dum apud animum constitui descriptionem Februm ex vulnere ortarum tradere, tres priores classes (§. 9.) memoratas omittam & statim ad explicandum transibo ut intelligam, quomodo Febres ex Vulnere oriri possunt. Vulnere enim jure merito numerantur inter applicata externa (§. 9.) Antequam tamen, B. L. pergimus, te praemonitum velim, me in hac dissertatione hanc mihi libertatem vindicare, ut per vulnera solum illa intelligam, quae alicujus momenti sunt, quibusque plerumque adest inflammatio.

Quid vero per Vulnus intelligendum sit, multum inter Chirurgos disputatur, & variae de hujus significatione nominis sunt sententiae, nam, quamvis in eo conveniant, quod vulnus sit quaedam solutae continuitatis species, non idem sentire videntur de differentiis, per quas Vulnus a caeteris solutae unitatis speciebus distinguatur. GALENUS ejusque Successores inquirunt, *Vulnus esse continui solutionem ex vulnerando in carnosam partem relictam.* Sed quod ad hanc definitionem attinet, pati videtur difficultatem, & quidem non levem, nam mihi videtur absurdum esse, quod idem per idem, & ignotum per aequum ignotum de-

finiatur, hoc vitium hic est conspicuum, nam vulnus delineant per actum vulnerandi, quid nunc aliud est vulnerare, quam vulnus inferre? & si aliquis ignoret, quid sit vulnus, quomodo cognoverit, quid sit vulnerare?

Alii vero hanc difficultatem forsan conati effugere, talimodo vulnus definiunt, scilicet, quod sit continui solutio in parte carnosam a causa externa.

Neque haec definitio, arbitrio meo, difficultate caret, & quidem 10. si pars carnosam E. G. a Lapide contundatur, tunc quidem in illa est soluta continuitas, sed tamen non potest dici ibidem esse vulnus. 20. Non possum videre, quare soluta continuitas a causa quadam interna parti illata, V. G., si os frangatur ita ut os egrediens carnem laceret, non aequè dici possit esse Vulnus, ac si ab externa causa hoc factum fuerit. Hac in re Clar. HEISTERUS a vero aberrasse videtur in ejus sequenti definitione, nam inquit, *vulnus esse violentam atque extrinsecus ab instrumentis factam continuarum harundemque mollium corporis partium solutionem (a).*

Manifestum forsan est, quid intelligatur per carnosam partem. Per illam non intelligere debemus proprie dictam carnem, sed omnes molliores corporis partes: Humanum enim corpus dividi solet in partes molliores & osseas: hoc modo carnosam partem sumpsit etiam Galenus aliique.

Hisce autem propositis melius mihi videtur, Vulnus eo modo

(a) Vid. Inst. Chirurg. Part. I. pag. 43.

do definiri, quo Doctissimus meus Promotor JOA. OOSTERDYK SCHACHT in suis praelectionibus Pathologicis delineavit, scilicet, quod sit soluta continuitas in parte molli recens facta a duro corpore, acuto, moto vel pressio cum effusione sanguinis, aliorumve humorum vitalium vel utrorumque.

§. XI.

Sed his praemissis, jam ad rem ipsam nos accingamus. Scripsimus in paragr. praecedenti, per carnosam partem non intelligi proprie dictam carnem, sed omnes molliores corporis partes, inter quas merito numerantur nervi, venae, arteriae, membranae, tendines atque ligamenta. Nullum punctum dari in corpore nostro, quod non habeat nervum, unicuique vel parum in Anatomia versato notum est, & nullus est qui ignorat, nervos membranis suis involvi. Utrum vero nervi ex cerebro & medulla oblongata exeuntes involvantur dura matre, tunica arachnoidea & pia matre ut BOERHAAVIUS (a)? an autem sola pia matre investiantur ut MARHERR (b)? hic non disputo. Sufficit, si sciamus, illas membranulas vasis arteriosis, venosis & lymphaticis intertextas esse, quod etiam testatur

Leeu-

(a) Vid. Prax. med. Tom. I. pag. 346. § 162.

(b) Vid. Praelect. in Herm. Boerhaave Inst. med. Tom. 2. pag. 387.

Leeuwenhoek (a), cum ait, se ipsum vidisse tenerrima vascula sanguinea per fibrillas nervorum decurrentia. Hisce consideratis, unicuique facile est intellectu, cur tam funesta, diraque symptomata saepe ex nervorum laesione sequantur: nam, quod aliquando leve adeo vulnusculum immanis dolor, acutissima febris, deliria, convulsiones, inflammationes, suppurationes molestissimae, gangraena, imo ipsa mors sequuntur, observationes Medicorum abunde docent.

§. XII.

Nullum enim Vulnus cutim laedere potest, quin innumerae fibrillae nerveae dissecentur, sed de his hic non agi & tantum de nervis majoribus, qui sunt fasciculi nervorum minimorum communi involucre tectorum, considerandum est.

Nervi distribuuntur in ramos sicut arteriae venaeque, sed tamen cum quadam differentia, nam rami ab arteriis venisque producti cum cavo trunci, unde oriuntur, communicant, quod alia ratione obtinetur in nervis majoribus, Talis enim major nervus innumeros minores nervorum fasciculos continens (ut statim diximus) distribuit quidem ubique tales fasciculos, qui rami majoris nervi dicuntur, nam hi fasciculi iterum constant ex aliis minoribus, ita ut eorum finis adhuc nunquam a subtilissimis

Anato-

(a) Vid. Tom. 3. Epist. 36. pag. 550.

Anatomicis demonstrata fit: hi autem jam adsunt in hoc loco, ubi major nervus ex medulla oblongata vel spinali suam originem ducit, & rami arteriarum ac venarum primum eo loco originem suam ducunt, quo exeunt ex trunco canalibus majoribus, ex quibus discrimen inter distributionem ramorum nervorum, & arteriarum atque venarum plane liquet.

Haec mihi, B. L., praemittenda videntur, ut clara fiat ratio, quomodo vulnerati nervi tam magnas turbationes in functionibus totius corporis creare possint.

§. XIII.

Ipso momento, quo vulnus infligitur, & truncus nervosus dissecinditur, pars dissecta elastica vi retrofilit, (quae elasticitas non dependet a tenerrima nervorum substantia, sed quidem a tenacibus illorum involucribus) truncus ergo retrofiliens simul ramos nervosus ex hoc trunco ortos paulo superius, quam vulnus inflictum fuit, trahit: ramuli illi nervosi percussim distributi sua violenta distractione enormes dolores producunt & vascula involucri nervorum constituenta sic elongantur. Et dum demonstratum est, quod omnis causa, quae vasa nimis trahit & elongat, vasorum capacitatem minuat(a), facile intelligi potest, quomodo Febris ex laesione nervorum produci possit.

(a) Vid. Clar. Boerhaavii Aphor. de cognos. & curand. morb. § 112. No. 3.

§. X I V.

Canalibus minimis, qui per ultimas suas angustias singula tantum fluidorum elementa transmittunt, sic elongatis & angustioribus redditis, facile apparet, ab hac causa obstructionem nasci debere: hanc obstructionem sanguineam esse & occupasse plexus vasorum capillarum arteriosorum, clare nobis ostenditur ex calore, rubore & dolore labiorum vulneris.

Hisce autem praegressis, tandem oboritur *Febris* cum suis symptomatibus, plerumque omni inflammationi comes. Ex duplici causa *Febris* hic nasci videtur; Prima causa est, quam obstructio producit, illâ enim in vasis arteriosis productâ, caetera illis proxima per *εμφραξιν* vel *σπασμους* non obstructis, ita per *θλιψιν* comprimuntur, & angustantur, ut difficilis humorum per ea sequatur transitus, vel penitus eorum permeatio impediatur, hinc reliqui humores majori in copia ad vasa non angustata deferuntur, hinc & eorum latera magis distenduntur, ab hac distensione vasa citius ad propriam suam contractionem irritantur, & magis ex eo reagunt in humores, unde necessario sequitur humorum majori etiam in copia celerior propulsio per venas ad cor, hinc velocitas cordis contractionis augetur, pulsusque exinde acceleratur & *Febris* producitur.

Altera causa videtur esse sita in dolore, qui excitatur fibris nerveis distentis, nam arteriae obstructae omnem impetum ardentis humoris sustinentes ita distenduntur, ut fibrillae mem-

brana.

brantarum suarum nervosae, adeoque maxime sensiles, rupturae jam fiant proximae, unde summus producitur dolor (a).

Ille dolor nunc turbas suas per systema circulationis diffundit, & sensorium commune ita afficit, ut nimiam expressionem liquidi nervosi faciat in nervos cardiacos, unde celerior influxus spirituum in villos musculosos cordis, ex hoc celeriori spirituum influxu citator cordis systole & diastole, unde circulatio velocior, & sic Febris, ut diximus in (§. 5.).

§. X V.

Quam gravia & crudelia ex vulneratis membranis ligamentisque nasci mala possint, non indiget ulteriori explicatione, quoniam istae partes producta sunt nervorum, quamvis tamen notandum sit, quod non omnes membranae laesae aequae tanta mala producant, nam quam intolerabilis dolor oritur, si E. G. aponeurosis a musculo glutaeo orta, & femoris musculos validissime ambiens & coercens levi punctura laedatur; idem quoque apparet, si aponeurosis musculi bicipitis per V. S. in brachio institutam aliquando laesa fuerit: Quam terribilis etiam dolor producitur, si membrana Meatum auditorium investiens, adeo tensa, aliquo casu laedatur.

Ex

(a) Vid. Clar. Swietenii Comm. in Herm. Boerhaavii aphorism. de cogn. & curand. morb. Tom. I. § 224.

Ex his clare patet, quod, quo magis membrana tensa laedatur, eo dolor fiat acutior, & quo magis dolor sit acerbior, eo major fiat Febris & contra, nam in omni dolore paulo atrociori & aliquamdiu perdurante semper adest Circulatio velocior.

Quod denique attinet Vulnere Tendinum, facile est explicatu, quia Tendo nihil aliud est, quam nervorum fasciculus compressus, cujus fibrae sunt maxima nervi pars, quae excurrentes, ex musculis tendinem faciunt (a), & quoniam a Ruischio aliisque demonstratum est, quod per involucra tendines investientia eadem vasa, ac per membranas nervorum decurrant, luce meridiana clarius est, tendines laesos nervis similia mala pati. Uno enim momento tendine leviter vulnerato, altero statim totum genus nervosum per totum corpus turbatur. Sed de his pluribusque effectis ex systematis nervosi affectu, oriundis, consulendi sunt Auctores, qui de hoc argumento scriperunt: restat ergo, ut de signis agemus.

(a) Vid. Boerhaave Inst. Med. § 395.

XX

C A P U T I I I .

De Diagnosti & Prognosi.

§. X V I .

Nullus est, qui ignorat, quemcumque morbum plurimis symptomatibus concomitari. Haec nunc symptomata praebent Medico magnam difficultatem, qua judicat de praesentia sive absentia morbi. Sed quoniam diversi morbi saepe iisdem symptomatibus stipantur, Medici est altiore indagine perscrutari ex tali syndrome symptomatum, quae eo tempore, quo versatur, in aegro conspici queunt, quo morbo homo laboret, & dum haec syndrome symptomatum plerumque adest, prudentis medici est, ex his variis symptomatibus tamen unum (si fieri potest) eligere, quod nunquam abest. Ut ergo Febris rite cognoscatur, tale signum Medico est indagandum, quale vocatur signum Pathognomicum, sive sine quo Febris existere nequeat.

C

§. X V I I .

§. XVII.

Uti Medici de Febrium natura, causis & effectis ambigunt, ita quoque inter eos non convenit de signis, quibus Febris detegitur. Nonnulli enim veterum sententiam secuti statuunt, cum Febre simul adesse debere praeternaturalem calorem, ex cuius praesentia de vera Febris existentia judicare volunt, quod signum ab aliis refutatur, quia homo saepe Febre laborare potest, ubi nec a Medico, nec ab aegro calor praeternaturalis deprehenditur: Alii rursus Febrem cognoscere volunt ex conspectu urinae, sed hoc signum aequae fallax est, quia si aeger Crocum aut Rhabarbarum assumpsit, urina tunc temporis colore igneo tineta erit, hinc alii expertiores Medici dicunt, quod Febris sola cognosci potest ex pulsu praeternaturaliter intra datum temporis spatium accelerato, inter quos HERM. BOERHAAVE Leidensium illud illustre decus celebratur. *Sola velocitas pulsus, inquit, adest omni febris tempore ab initio ad finem, eaque sola medicus praesentem febrim judicat (a).* SYLVIVS quoque, *hoc unicum, ait, febrim omni soli ac semper competens signum est, adeoque Pathognomicum, pulsus scilicet naturali frequentior, quo praesente febrim adesse, absente autem abesse certo pronuntiari queat (b).*

§. XVIII.

(a) Vid. Aphorism. de cogn. & curand. morb. § 570.

(b) Vid. Prax. Med. Lib. 2. pag. 604.

§. XVIII.

Vidimus antea, inter remotiores Februm causas merito numerari Vulnera (§. 10.) & ad eorum effecta pertinere Febrim (§. 14). Diligenter ergo hic est considerandum tum ad praesagium tum ad curationem, utrum Febris ex inflammatione, an vero ex generatione puris, vel ex apparatu remediorum acrimia incaute Vulneri externe applicatorum oriatur.

Utrum partis cujusdam inflammatio Febrim efficiat, con-
jicere licebit ex effectibus inflammationem consequentibus, uti est Calor, tensio, dolor &c., si nempe illa pars sensibilis fuerit, nam si pars fuerit insensibilis aut parum sentiens, uti est cerebrum, tunc signa sunt elicienda ex ejus actionibus laesis. Medico etiam hoc non ignorandum est, quod, si pars quaedam nervosa vulnerata sit, & inflammatio vulnere supervenerit, talis inflammatio efficiat pulsum tensum atque ferratum, quali pulsu apparente, procul omni dubio censendum erit ex inflammatione ortam fuisse Febrim.

§. XIX.

Alia Febris non raro Vulneratis accidere solet, ea videlicet, quae ex generatione puris contingit. HIPPOCRATES enim

ait, dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis quam confetto (a). Sed non difficile erit, hanc febrem cognoscere, si attendamus ad ea, quae eo tempore, quo consuevit pus generari in vulneribus, contingunt, quamvis hoc tempus differat pro natura aegrotantium, in aliis enim citius, in aliis tardius pus generatur. In generatione puris pulsus sunt magni, celeres, & frequentes, urina est vel naturalis vel parum a naturali distans, dolor est tolerabilior, & denique nullum pravum conspicitur symptoma.

§. X X.

In indagationem, utrum febris ab applicatis externis, an ab alia causa producat, multam operam aliquando conferemus, nam saepe ejus origo frustra aliunde quaeritur: accurate ergo attendendum est ad remedia, quae sunt applicata, & ad partem vulneratam, cui sunt admota. Observatum enim est, per Cantharides applicatas vehementem inflammationem productam fuisse: praeterea dantur homines, qui non possunt ferre Cantharides, quin habeant febrim. Signa diagnostica talis Febris sunt petenda ex saevissimis doloribus, & pulsu duro celerique.

Haec sunt praecipua signa Diagnostica memoratarum febrium, nunc describamus signa Prognostica, quae sequentia sunt.

(a) Vid. Aphorism. Sect. 2. Aphor. 47.

§. XXI.

Quod ergo prognosin Februm ex causa interna ortarum attinet, illa formari debet ex natura & genio ipsius Febris, quo magis autem Febris oeconomiam corporis humani turbat, eo majus vitae periculum infert, & si actiones tam vitales, quam naturales ac animales vi ejusdem admodum laeduntur, supponitur, talem Febrem suam originem ex causa maligna traxisse, si autem una alterave corporis humani functio laesa sit, denotat, causam Febrem excitantem esse leviolem, & non multum discriminis praedicere.

§. XXII.

Februm prognosin, quae ex vulnere sequuntur, variat pro varia vulneris conditione, si enim Febris ex inflammatione occupante integumenta communia corporis tantum orta sit, raro vel nunquam parit periculum, resoluta enim inflammatione, Febris cito evanescit.

Febris, quae oriuntur ex laesione nervorum, tendinum, ligamentorum &c., admodum periculosae sunt: Hae etiam non vacant periculo & difficiles curatu sunt, quae nimiam sanguinis boni profusionem sequuntur, nam defectus ex inanitione vasorum orti, non nisi difficulter arte restituantur, quoniam prima-

rium organum huic negotio dicatum debilitatum est, & quando
cibus & potio assumitur, vix bene transire possunt in succum
nutritivum.

Febres, quae ex fragmentis instrumentorum huic vel illi cor-
poris parti impactis producuntur, nullum fere periculum gignunt,
si nempe illud heterogeneum cito auferri potest, si autem
in eo longe cunctemur, Febris ex tali causa oriunda de die in
diem periculosior evadit, graviora symptomata excitantur & denique
morbus, ante curabilis, saepissime spem eludit, unde
OVIDIUS suo tempore cecinit

*Vidi ego, quod primum fuerat medicabile vulnus
Dilatam longa damna tulisse mora.*

Haec omnia etiam sunt praefagienda in Febris ex apparatu
remediorum acrium vulneri incaute applicatorum oriundis.

Finite jam prognosi, nihil amplius superest, nisi ut animum
vertamus ad Methodum, qua morbus hic sanari potest.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

C A P U T IV.

De Curatione.

§. XXIII.

Quod jam curam Februm descriptarum attinet, illa absolvitur ablatione causae proximae, & cum observavimus, causam proximam esse Lentorem ad capillaria haerentem & irritationem cordis contractiones accelerantem, & ex hisce oriri in sanguine impetum vehementem & attritum & inde reliqua oriri symptomata, concludo, primam indicationem esse sublationem causae morbosae, quae consistit in sopienda irritatione, & solvendo lentore.

Itaque, ut res illa mihi pro voto cedat, cum aliis expertissimis viris mihi attendendum est, quod stimulus ille irritans expelli debeat, nam stimulo irritante sublato, tollitur quoque frequentior humorum in cor influxus, a quo (ut antea vidimus) Febris proxime dependet.

Primarium sane ad hoc efficiendum remedium videtur esse

V. S.,

V. S, præcipue in Juvenibus & plethoricis, nam nimiam sanguinis velocitatem compescit, molem liquidi movendi minuit & depletis vasis spatium diluentibus ingestis concedit, & si motus sanguinis non satis primâ institutâ Phlebotomiâ tempere]tur, & symptomata aequè gravia maneant, audacter repetenda est, prout aegri vires, aetas, constitutio aliaque circumstantiae suadent.

§. X X I V.

Dictis ergo praemissis Curatio praeterea, ut porro impetus minuatur, irritans causa obvolvatur, lentorque diluatur, exigit medicamenta diluentia, emollientia, refrigerantia, attenuantia & resolventia. Conveniunt hic itaque varia decocta ex hordeo, avena, Rad. Gramin., Scorfoner., ex 5 rad. aperientibus &c., quibus dein variae compositiones addi possunt, ut Rob. Sambuc., ribesior., Syrp. e Succ. Citri, Althaeae, e rubo Idaeo, Papav. Rhead. &c. Sic & Nitrum, Sal Prunell., Sal Polychres. &c. Ex decocto Hordei mundati etiam parari potest Emulsio, si addantur Amygd. dulc. & Sem. 4. frigid., si quoque huic decocto addatur Extract. Succi Taraxic. inspissat. cum rob Sambuci & Similibus, efficax fit medicina, quia sua virtute saponacea mirifice Phlogosin in sanguine resolvit,

Dein ad aestum sanguinis temperandum conveniunt Purgantia ex Fol. Senn., Agar., Tamarind, Cass., Prunor. acid. dulc., Syrp. Cichor. cum Rheo, cum nitro, sale prunell., Polychres,
Cry-

Cryſtall. Tart. &c. ex quibus pro lubitu variae formulae formari poſſunt. Huic ſcopo etiam inſerviunt Clysmata, quia plurima vaſa in abdomine ab excrementis in inteſtinis contentis comprimentur, & anguſtantur, ita ut tranſitus ſanguinis per illa impediatur, & ſic Febris augeatur. His igitur per Clysmata injeſta a compreſſione liberatis, ſanguis non ſolum liberius motum proſequitur, ſed in illis vaſis diutius morari poteſt, & tardius ad cor redit, motusque Febrilis minuitur. Hic igitur non inepte convenit ſequens Clyſma

℞ Hord. mundat.

Tamarind. a ℥i.

Fol. Senn. ℥iij.

aq. Comm. ℥xvi.

Coq. ad Colat. ℥xii. adde

Mellis ℥i.

Nitr. pur. ℥i.

M.

Ne Delirium, Convulſiones aliaque mala aegro ſupervenient, praeter Clysmata quoque ſunt applicanda Pediluvia, Epiſpaſtica ad impetum & copiam ſanguinis ab encephalo avertendum & derivandum verſus inferiores corporis partes. Ut aegro aliquid ſolaminis afferatur, quando linguae, oris & faucium ſiccitas & inde orta ſitis valde urget, pro potu aſſiduo ſequens Julapium praefcribendum eſt

D

Aq.

℞ Aq. Hord. mund. ℥ xx.

Rob. Ribesior. ℥ ii.

M. adde

Sp. Salis vel Nitri dulc. tot guttas

quot sufficiunt ad gratum acorem

Aq. Sillat. Cianam. ℥ β

M.

Hoc modo feliciter Februm continuarum cujuscumque generis curatio potest absolvi, quamvis fateri haud erubescam, plura melioraque his addenda superesse, sed dum ob penuriam temporis illa omnia tradere nequeam, nos accingamus ad alia.

§. XXV.

Si pars quaedam corporis per vulnus inflatum inflammata, & Febris inde orta sit, statim cura est incipienda a V. S., ea tamen cautela, ut, quando ex vulnere magna sanguinis copia sit profusa, sollicitè ab illa tunc abstineamus. Hic quoque non debemus negligere febrifuga interne assumenda, ut sunt Antimon. diaphor. non ablut. & ablut., Nitrum, sal Prunell., Tartar., arcan. duplicat. &c. Opera quoque danda est, ut Vulnus promptissime ad digestionem reducatur, quam promovere possumus per varia digestiva, ut sunt Flor. Chamaemeli, ac Meliloti, Herb. Altheae, Fol. Brassicae, Parietariae, Malvae & plura alia, ex quibus singulis vel pluribus cum far. Semn. Lini & aq.

aq. comm. Cataplasmata vulneratae atque inflammatae parti applicanda formari possunt, quorum ope materia attenuatur, cutis laxatur, digestio feliciter perficitur & inflammatio subito resolvitur. Interim Medico est prospiciendum, ne pus tanta copia generetur, ut metuendum sit, ne resorberetur, & inde Febris excitaretur.

§. XXVI.

Symptomata, inter quae principem sibi locum vindicat Dolor, qui (ut antea vidimus) in Laesione nervorum ac tendinum saevissimus est, sunt mitiganda, & dum observavimus (§. 14.) hunc dolorem a nimia distensione fibrae nerveae oriri, adhibenda sunt remedia Laxantia & emollientia dolenti parti admovenda, ut sunt mica panis albi, Crocus, Ova, Lac. &c. huic scopo optime etiam inservit sequens Cataplasma.

℞ Flor. Chamaemeli
 — Rosarum
 — Verbasci a ʒiβ.
 Lac. dulc. q. S.

Coq. in consistentiam Cataplasmatidis & adde
 Vitell. Ovor. N^o. 2.

Si vero conjiciamus, nervum dimidiato discissum esse, intrepide ad scalpellum chirurgicum confugiendum est.

Symptomata, quae oriuntur ex fragmentis metallorum lapidum, Ligni, Vitri, globi tormentorum &c. corporis particulae impactis, statim cedunt, si illa eximi possunt. Semper autem animadvertendum est, quod si talia heterogenea in vulnere haerentia educi non possint, quin gravia inde secutura mala metuantur, potius tunc haec relinquenda sint, & horum separatio naturae committenda sit. De adhibenda in his educendis cautela Chirugos consulere oportet. Simili modo tractanda sunt mala ab acribus applicatis oriundis.

§. XXVII.

Cum nunc breviter perpendimus, quatenus sint praecipua media & medicamenta, quae nobis Chirurgia ac Pharmacia largitae fuerunt, superest, ut paucis adhuc fontem Diaeteticum perlustremus, si enim non legitime rebus sic dictis non naturalibus utantur aegri, usus Medicamentorum erit frustraneus.

Diaeta ergo hic maxime est observanda, Cibus sit facilis digestionis, tenuis, mollis & putredini resistens, ut avena, hordeum, oryza cum aqua, vel carniū jusculis omni pinguedine orbatis decocta. Huic scopo etiam inserviunt omnia mollissima olera E. G. Lactuca, Endivia, Spinachia, Rad. Scorzoner. &c. jusculis incocta. Pro potu optima est aq. hord. cum succo citri & saccharo; omnia tamen haec, quamvis salubria sint, nocere poterunt quantitate, si nimia copia simul ingerantur. Aer sit temperatus, non nimis frigidus, calidus, humidus & siccus.

ficus. Abstinendum est ab omnibus animi commotionibus, hinc vitandae sunt curae et meditationes, quae requirunt, ut animus intendatur.

En B. L. hic vela contraho, quum navem tantum dirigendi fuerit scopus, an sine facto ullibi naufragio eandem in tutum portum deduxerimus, vestrum erit dijudicare.

TANTUM.



T H E S E S.

I.

Plethora toxica videtur esse causa sanguinis menstrui fluxus.

I I.

Ductus Hepato-cysticus in homine dari, non verisimile est.

I I I.

Sanguinis sputum in Hæmoptoe non semper vasculum arteriosum vel venosum pulmonis sanguiferum ruptum esse indicat.

I V.

Febris signum diagnosticum est pulsus naturali frequentior cum quarundam functionum læsione.

V.

In vulneribus sclopetariis aliquando suadendæ sunt incisiones.

V I.

Tempus mortis post inflictum vulnus nihil ad letalitatæ renunciationem facit.

V I I.

Dieta in morbis aliquando plus præstare valet, quam medicamenta.

V I R O 7 U V E N I

D. V R O O M, D I D. F I L.

Cum Medicinae Doctor renunciaretur.



Fronde meum viridi praecingere rite sodalem
Musa, nec Idalias spargere parce rosas;
Qui bene, pro meritis, titulo decoratur honoro,
Quo, Famae auspiciis, nomen in astra ferat:
Quem (si de tenni quid profit pectine carmen,
Et focii si quid vota praecesque valent,)
Quem foveat gremio Tritonia Mater alumnum,
Et cui non moriens fama perennis eat!

Ante

Ante supervacuas cetus volitare per oras,
Et poterit liquidos deseruisse locos;
Ante dabit sudum latitans tenebrosus Orion,
Hesperus et medio lumina sole dabit;
Quam meus Euryalo decedat pectore Nifus,
Clara Machaönum gloria, noster amor.

ADRIAAN VAN SOLINGEN,

Med. Cand. & Philos. Stud.

Dabam, Trajecti ad Rhenum,

CICIOCCCLXXXI.

AAN

A A N D E N
W E L E D E L E N H E E R,
D I R K V R O O M, D. Z.

*Als zyn Edle tot Doctor in de Medicynen
bevorderd werd.*



Zou ik in uw roem te melden, my verbeelden Phoebus gunst,
Zou myn wierook geurig rieken, op het altaar van uw kunst
K'moest in t'Choor van kundig' Artzen tot een Priester zyn gewyd
En de speceryen weten, die men voor den dienst bereid;
Doch in alles onbedreeven, en van t' wettig regt beroofd,
Zal ik (schoon ik al te driftig U myn zangwensch heb beloofd)
D'yd'len rook van t' offer zwaajen op het autaar van myn hart,
Daar de vriendschap allen eerbied van geveinsde tongen tart.
Dat zy uwen lof behaage en dat gunstig denkbeeld streel,
Door wiens invloed ik in d'agting van myn boesemvrienden deel.
Veel geluk dan met het zegel van uw heilsaam Doctoraat,
Veel geluk met d'eer en sleutel van uw trouwen Hippocraat.
Opent nu de schoone hooven waar den welvaard spelemeid
Waar m'in geur van Artzenyen vergenoegde dagen slyt.
Daar de liefde roosenkranssen om uw groenen schedel vlegt,
En den overvloed zyn schatten voor uw aandeel openlegt;

E

Schenkt

Schenkt ons uit die vrugtbre tuinen blad'ren van t'alzuivrend kruid
Geeft uit zoete sappen 't middel, dat de zwaarste ziekten stuit.
Zoo zal elk op U betrouwen, nu gy voor hun welzyn waakt,
Nu zy zien, dat gy door zorgen hun het leven veilig maakt.
Weest des in uw kunst gelukkig, zyt uw selv ten Palinuur
Red den kranken, staat niet weiffend op de regels der natuur.
Roept m' uw bystand, als gevaaren om het veege krankbed staan,
Moet uw kennis somtyds dwaalen onder de Cypresfeblaan.
En in stervend' oogenblikken missen alle hulp en troost,
'Tleert U dan de zugten wegen, die den bangen lyder loost.
Leevt zoo tot de tyd uw jaaren in haar effen loopbaan stuit,
Tot de dood van U zal eischten dat g'uw eigen kruidboek fluit.

ex amore
more
ore
re.
B. VAN BOMMEL, J. C.